

180

Phasca, et inde terram sanctam contemplabatur, ut dicitur  
Deut. 34. v. 1.; sic et nos educti de terris nostris per mare  
magnum, et facti propinqui terrae sanctae ad superiora navis  
**(B)** continue ascendimus, ut eam terram, ad quam tendebamus,  
visu praeoccupare possemus. Beatum enim se quilibet  
aestimasset, si ipse primus hanc de mari terram vidisset.  
Qua propter prece induximus et precio conduximus juvenes  
galéstrellos vigiles kebae, ut diligentius circumspicerent per  
maris latitudinem, et visa terra sancta clamore nunciarent, et  
cuiuscunque hoc nunciantis vocem primo audiremus, eum bona  
curtusia remunerare vellemus. Fateor hoc de me ipso, non  
ad aliquam jactantiam sed ad describendam decentiam, quod  
in utraque peregrinatione in illis diebus, quibus suspicabar  
nos terram sanctam citius videre, taeduit me dormire, man-  
ducare et bibere, et nocturnae tenebrae quieti humanae depu-  
tatae erant mihi poenosae, lectulus factus fuit mihi stimulus,  
cumba infernus, nec amplius potui legere aut scribere, nec  
colloquiis pristinis interesse, sed solatium meum erat sedere  
in prora super galéae cornua, et ibi incessanter oculos per  
latitudinem maris circumferre: ut saltem oculorum labore  
possem aestum mentis mitigare. Noctes advenientes turbato  
animo suscepi, et quod vix audeo dicere, eis nonnunquam ex  
subreptione maledixi, pro eo quod medium videndi, lucem  
scilicet, mihi auferebant. Porro omnibus his diebus auroram  
praeveni sedens in prora, eamque illuscentem gaudens  
suscepi, et deinde ortum solis praestolabar, et diligentissime  
per superficiem maris visum sparsi, et in orientem defixi,  
quem tamen infra aquam esse imaginabar, propter maris  
altitudinem. Ideo in altum non suspexi, sed partem coeli,  
quae parti maris conjungi videbatur termino orizontis, irrever-  
berato intuitu inspexi, ut sole ad ortum procedente conside-  
rarem, an aliquod obstaculum aut corpus opacum videre pos-  
sem, inter corpus solare lucidum et corpus aqueum clarum,  
et corpus sic se objiciens nihil aliud fuisse nisi mons aliquis  
terrae sanctae, quam ego scivi ad orientem contra nos esse.  
Nam quando galéa natat in alto maris et sol oritur, tunc  
videtur, quod de aqua prodeat, et nullum medium videtur  
inter solem et aquam, quod etiam in occasu sit, ubi sol quasi

